



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 18. Eques Belga insigni miraculo ab histibus liberatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

affirmauit ijs, quibus rem omnem enunciarat, eadem prorsus forma, ornatuque sibi in quiete B. Virginem obuersatam. Credas illam speciem, habitumque esse cordi B. Mariæ.

*Eques Belga insigni miraculo liberatus ab hostibus,  
ingenti mole cereum dicat.*

*Cap. XVIII.*

*Vit. Brig.*

**C**ereus votiuus vastæ magnitudinis, pondo CCC. per idem tempus à Belga equite nobili B. Virgini dono missus est, pene incredibilis miraculi testis. Voti, donique causa fuit, quod ille eques (nomen non proditur, quia ipse occultatum voluit) in Flandria, B. Mariæ ope manifestū capitis discrimen effugerat. Quippe iussu Parmensis Principis, cum equitibus octo explorandi causa improvide progressus, in hostium præcipitarat insidias. Erant hostes circiter octingenti partim equites, partim pedites, qui impigre circumfusi omnem illi effugij spem ademerāt. Non tamen animis cecidit Belga, sed inuocata B. Maria Lauretana, adhortans socios fortiter pugnam capessit. Tantumque apud eos valuit fiducia Virginis; vt facile tanti periculi cogitationem excuteret. Itaque repente parvæ illi manui creuere animi viresque: nec imploratum cœleste auxilium pugnantibus defuit. Cum tot vndique manus eos incesserent telis; Deiparæ præsidio tecti hostilem impetū, telorumque procellam tantisper sustinueret; quoad Hispanienses copiæ venire subsidio. Tum vero periculum in hostes vertit: plærique eorum cæsi, captiue. Ac ne dubia foret vis cœlestis auxiliij; neque ipse eques, neque comitū quisquam omnino: nec vero vllus eorum equus in tam atroci pugna, quæ tenuit horas duas, vlla est læsus ex parte. Sentires illos Deo protegente pugnasse, quo propugnante vicissent. Ergo ille tam insignis miraculi æternum

Laureti

Laureti voluit exstare monumentum. Ingenti mole cereū, quem dixi, ea lege misit, vt ante augustam Virginis Domum certis arderet diebus. stipendiumque certum attribuisse dicitur, vt illo absumpto, alius deinceps pari magnitudine cereus substituatur, ad posteritatis memoriam sempiternam.

*Surdus aurium vsum recuperat.*

*Cap. XVIII.*

**M**irandum minus, sed magis etiam testatum est, quod subijciam. Erasmus Decanus Cathedralis Ecclesie Cracouiensis in Polonia, vtraque captus aure nihil admodum audiebat: sic prorsus, vt non tam verbis, quam nutibus cum eo agendum foret. Is ante obstructas morbo aures, de admirabilibus Lauretanæ Virginis rebus, rumore nuncio multa cognorat. Tandem igitur postquam in medicis nihil opis esse apparuit, ægrum morbo animum subiit diuina vis Domus Lauretanæ. Ergo haud dubia spe erectus Lauretum venit. In augustissima Virginis cella sacrum facit, Diuæ opem implorans. Ibi præsentissimū morbi remedium inuenit. Sacris operatus sinistram sibi apertam sensit aurem: postridie re diuina inibi facta, dexteræ quoque auris vsum recuperat. Ita qui surdaster, aut surdus potius sacrosanctam Aedem intrauerat, intra biddum exijt lætus aurium vsum recepto. Totam rem ipsimet Rutilio Benzonio Episcopo, & Andrea Bentiuolo Præsidi Lauretano mistis gaudio lacrymis enarrauit. Non. Apr. Anni M. D. XC. Inter hæc Lauretum noua vrbs, laxato spatio strenue ædificabatur. Cæterum immatura Xysti Pont. mors opus ab alijs quoque Pontificibus frustra tentatum subito interrupit. Mons Regalis circumciscus, ac semirutus relictus: nouæ ædes extra vetus pomœrium sitæ nunc pro suburbio sunt, quarum etiam bona pars inchoa-

*Ann. Laur.  
Rier.  
Vist. Brig.*

*Andreas Bē  
tiuolus Præs.  
Laur.*